

si immemorabilis consuetudo, quæ existebat 1829, non excusaverit, manifeste sequatur, consuetudinem introductam post Concilium, non esse causam legitimam non residendi, et canonicos non excusare.

§ 11. De pœnis contra non residentes.

I. Statuit Concilium Tridentinum sess. XXIV, cap. XII de reformatione : *Obtinentibus in cathedralibus aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore, cuiuslibet statuti aut consuetudinis, ultra tres menses, ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt : alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ ac residentiæ fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit : crescente vero contumacia, contra eos juxta sacrorum canonum constitutiones procedatur.*

Quocirca S. C. C. in Tarragonensi, ad dubia : I. *An dimidia pars fructuum, qua multari debet Canonicus, illegitime absens, juxta caput 12 sess. 24 Concilii Tridentini, intelligenda sit de fructibus totius anni vel de rata temporis.* — Et quantum affirmative ad primam partem, negative ad secundam. II. *An hujusmodi pœna æque ac semper imponenda sit statim ac canonicus illegitime abest.* Die 22 Aug. 1885 censuit respondere : Ad I. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ; ad II. negative, sed ejus applicationem pendere ab Episcopo* (1).

Notanda est differentia inter hæc, quæ Concilium hoc loco præscribit quoad residentiam canonicorum, et inter alia quæ statuit sess. XXIII, de reform. cap. 1, de residentia curam animarum habentium, ubi declarat absentem, qui animarum curam gerit, *pro rata temporis absentiæ, fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse; sed teneri, aut, ipso cessante, per superiorem ecclesiasticum illos fabricæ ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare.*

(1) Acta S. Sedis, vol. 18, fol. 281 et seq.

II. Quod si per specialem ecclesiæ constitutionem aut consuetudinem longius servitii tempus, quam novem mensium, requiratur; canonici qui non resident, iisdem pœnis subjacent, sicut Sacra Concilii Congregatio censuit (1).

III. Ut canonici ab his pœnis liberentur, non sufficit residentia in civitate, sed omnino requiritur assistentia officii divini; adeo ut contra absentes a choro ultra tres menses procedendum sit ad præscriptum concilii : requiritur enim residentia cum effectu, scilicet ecclesiæ et divinis officiis deserviendo, cum hoc sit vere residere (2).

IV. Etsi Concilium statuat, canonicis non licere ultra tres menses abesse, et alioquin unumquemque primo anno privandum esse dimidia parte fructuum, etc.; dicit tamen S. Alphonsus de Ligorio (3) ex quadam declaratione S. C. canonicos non privari fructibus, si tantum per paucos dies ultra tres menses absint : hujusmodi enim transgressio non videtur talis, ut prædictam gravem pœnam meditationis fructuum mereatur.

V. Pœna privationis fructuum, quam Concilium statuit, est sententiæ ferendæ, quum Concilium eam non infligat, sed decernat infligendam, ut liquet ex verbo *privetur* (4) : quamvis securus dicendum sit de Episcopis et curatis inferioribus, qui si non resident, ipso jure tenentur restituere fructus pro rata temporis absentiæ, utpote quos non fecerunt suos, ut expresse statuit Concilium loco supra allato. Unde juxta plures (5) canonicus, qui ob absentiam in pœnam privationis fructuum incidit, illos in conscientia ante judicis sententiam restituere non tenetur. Attamen juxta S. Alphonsum de Ligorio (6) contrarium hodie tenendum est. Ex Brevi Benedicti XIV ad Cardinalem Delphinum Patriarcham Aquilejensem 19 Januarii 1748, quod refertur cap. XXVI, § 6 habetur, quod canonici chorò non interessentes, sive non canentes, psallen-

(1) 9 Maii 1829, 30 Januarii et 26 Junii 1830 in *Terracinen*. apud Pallottini *Canonicæ* § III, n. 166; Fagnanus in 1 p. III Decretal. de præbendis, c. *Licet*, n. 50; Garcias de benef. p. III, c. II, n. 144; Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. IV, n. 119 et 120.

(2) Fagnanus loco cit. n. 41; Scarfantonius lib. 2, tit. XIV, animadv. 12.

(3) Theol. mor. lib. 4, n. 129, cum aliis.

(4) Fagnanus loco cit. n. 25.

(5) Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. IV, n. 125; Barbosa de canonicis. cap XX, n. 22; Scarfantonius lib. 2, tit. XII, n. 12.

(6) Theol. mor. lib. 3, n. 675, dub. 2.

tesve non solum amittant distributiones, sed omnes etiam fructus præbendarum, cum non faciunt suos. Si ergo non faciunt fructus suos non canentes, tanto magis non faciunt non residentes (1). Ex quo Brevi, ut ait idem Sanctus Doctor (2) remanet decisum, quod canonici vel non interessentes, vel non canentes aut psallentes in choro, nedum distributiones quotidianas amittant, sed etiam non faciant fructus suos ex præbendis, atque ad restitutionem sint obnoxii. Præterquam (3) quod id clare eruitur ex Tridentino loco supra citato, dum ibi dicitur, quod canonicus non residens ultra tres menses *privetur dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residentiæ (nota) fecit suos*. Ergo si canonicus ratione residentiæ facit fructus suos, non residendo suos non facit.

VI. Hujusmodi poenam Episcopus remittere non potest in totum, cum non possit dispensare contra generale Concilium, peccaretque Episcopus, si absque justa causa dissimularet canonicum ultra tempus absentem punire; potest tamen juxta declarationem S. C. C. quam refert Garcias, hanc poenam ante sententiam minuere vel augere, sed non in totum tollere (4).

VII. Canonici negligentes et absentes ultra trimestre prius monendi non sunt ad residendum, antequam puniantur, sicut parochi ex Concilii præscripto sess. XXIII, cap. 1, de reform. citandi vel admonendi sunt. Si tamen ultra tres menses abfuerint, tunc citandi sunt ad allegandam rationem, si quam habeant, quare non debeant privari secundum decretum Concilii (5).

Terminus igitur absentiæ per trimestre vel triennium non currit, nec incipit a die monitionis, quæ facienda non est, sed a die absentiæ (6).

VIII. Primo anno, cum canonicus ultra tres menses abfuerit, citatur ad dicendam causam, cur propter absentiam puniendus non

(1) Ita S. Alph. de Lig. lib. 4, n. 129.

(2) Lib. 3, n. 675, dub. 3.

(3) Idem S. Alph. de Lig. lib. 4, n. 129.

(4) Garcias de benef. p. III, cap. II, n. 150; Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. IV, n. 128; Lucius Ferraris *Canonicatus*, § V, n. 29; Henry de residentia, cap. V, § V, fol. 141.

(5) S. C. C. in *Vercellen*. 1573, lib. I decret. p. 190 et seq. apud Bened. XIV, Inst. 107, § VI; Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. IV, n. 126; Lucius Ferraris, *Canonicatus*, § V, n. 125.

(6) S. C. C. in una *Cathacen*. 14 Nov. 1671 ad 4; Lucius Ferraris loco cit. n. 25.

sit. Aliquando autem prætermitti potest hæc citatio, si ejus loco intimetur canonicus pro sequestratione fructuum, seu subtractione; quia, ut advertit S. Congregatio (1), ipsa citatio ad amittendam medietatem fructuum est interpellatio ad dicendam causam, propter quam non beat his privari (2). Justa causa non data, pro primo illo anno a judice privatur dimidia parte fructuum.

IX. Secundo anno, si eadem iterum usus fuerit negligentia, seu iterum ultra tres menses abfuerit, rursus citandus est ad dicendam causam, et justa causa non data, privandus est omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit.

X. Crescente vero contumacia, contra eos juxta sacrorum canonum constitutiones procedatur. Privandus est beneficio, si quis monitus non redeat, nec justam excusationem alleget, uti statuitur lib. III Decretal. tit. IV, cap. fin. XVII, *Clericos*.

Ad privationem autem canonicatus Episcopus procedere nequit, nisi servata forma Concilii Tridentini. Qua forma non servata, nulla est privatio canonicatus (3).

Duæ igitur pœnæ privationis fructuum primo et secundo anno infligendæ, ut jam dictum est, præmittendæ sunt privationi canonicatus, quæ nisi antecedenter locum habeant, non potest devenir ad privationem, etiamsi canonicus per tres, imo per plures etiam annos residentiam neglexerit, ut tradit Fagnanus in cap. *Licet* lib. III Decretal. tit. IV, n. 25 et 26, et S. Congregatio in *Lancianen*. Resid. 13 Januarii 1703, aliisque (4).

Deinde requiritur absentia trium annorum, ita ut non nisi elapsis tribus annis absentiæ, ordinarius ad privationem procedere valeat (5). Triennium continuum, et non interruptum esse debet (6). Pœna tamen privationis evitari nequit, si canonicus monitus, ad residentiam rediret, et iterum post breve tempus a residentia recederet, cum non rediisse censemur, qui statim a loco recedit (7).

(1) In Verulana Resid. et priv. fruct. 6 Junii 1863.

(2) De Angelis Praelect. jur. Can. lib. III, tit. IV, n. 18; Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 1, fol. 295, n. 104.

(3) Vid. dec. S. C. C. apud Pallottini *Canonici* § V, n. 178-203.

(4) Ita de Angelis lib. III Decretal. tit. IV, n. 18; Reiffenstuel lib. III Decret. tit. IV, n. 131; Lucius Ferraris *Canonicatus* art. V, n. 20 et seq. Scarfantonius lib. 2, tit. XIV, animadv. 2; Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 1, fol. 294, n. 103.

(5) Benedictus XIV Inst. 107, § VI; Reiffenstuel loco cit. n. 130 et 131; Scarfantonius loco cit.; Lucius Ferraris loco cit. n. 22; Fagnanus in 1 p. III Decretal. de præbendis c. *Licet*, n. 26.

(6) Henry de residentia cap. V, § V, fol. 144.

(7) Scarfantonius loco cit. n. 11.

Tum si sciatur, ubi canonicus existat, personaliter moneri seu citari debet, eique competens temporis spatium assignari ad redeundum juxta distantiam loci, qualitatem personæ et circumstantiam temporis, cum comminatione poenæ privationis. Eo tempore elapso, si canonicus non redierit, nec justam causam attulerit, titulo seu canonicatu privandus est (1). Si ignoretur, ubi sit, vel locus nimis distet, vel tutus accessus non habeatur, ut personaliter citari commode possit; tunc tria citatio fieri debet in ecclesia, ubi est canonicatus per edictum affixum ad valvas ecclesiæ. Hæc citatio non una vice, habente vim trium facienda est, sed successive fieri debet, ordinarie cum intervallo decem dierum. Post ultimam citationem expectandum est per sex menses, quibus elapsis, si canonicus non revertatur, nec justam causam afferat, privandus est canonicatu (2).

Quod si per statuta capitularia sive synodalia remitteretur solemnitas dictæ citationis, ita ut juxta illa absentes incurrent privationem ipso facto, absque ulla citatione; non esset tunc necessaria ista citatio, sed ea omissa ad privationem procedi posset (3).

XI. Ubi fructus omnes in distributionibus consistunt, plures docuerunt, non servatis prædictarum poenarum gradibus, Episcopo licere procedere ad canonicatus privationem post elapsum triennium, quo canonicus, prævia facta citatione, renuit ad residentiam se conferre: nihilominus tamen observatio graduum poenarum ad validitatem sententiae pertinet; adeo ut nullitate laboret sententia, qua canonicus, gradibus poenarum prætermisssis, privatur canonicatu, etiamsi fructus omnes ex distributionibus coalescant, non obstante resolutione S. C. 14 Nov. 1672 in *Cathacen.* cum ibi sancitum fuerit, quod sequestrationes fructuum omitti quidem possint, si ii consistant in solis distributionibus quotidianis, ex eo quod reapse non existant; dilationes vero temporis omitti nequeant (4).

XII. Fructus illi, quibus canonici non residentes, privantur, non

(1) Lib. III Decretal. tit. IV, c. VIII *Ex parte vestra.*

(2) Lib. III Decretal. tit. IV, c. XI *Ex tuæ;* Benedictus XIV, Inst. 107, § VI; Fagnanus in 1 p. III Decretal. de clericis non resid. c. *Ex tuæ*, n. 35; Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. IV, n. 132; Scarfantonius lib. 2, tit. XIV, animadv. 2 et seq. De Angelis lib. III, tit. IV, n. 18; Lucius Ferraris *Canonicatus* art. 5, n. 23 et seq. Henry loco cit.

(3) Ita Scarfantonius loco cit. animadv. 9.

(4) Pallottini *Canonici* § V, n. 193-196; Scarfantonius loco cit. animadv. 10; De Angelis loco cit.

accrescunt præsentibus, sed applicandi sunt in usum ecclesiæ et utilitatem illius, quatenus indiget, et alias alteri pio loco, arbitrio Ordinarii, applicari possunt, prout decisum fuisse refert Garcias (1).

XIII. Prolata sententia privationis ob non residentiam, ab ea non datur appellatio suspensiva (2); nisi ordo præscriptus a sacris canonibus et Concilio Tridentino, servatus non fuerit; restat tamen appellatio devolutiva (3).

XIV. Episcopus aliam quoque viam inire potest ad comprimendos contumaces, qui non resident. Quippe Sacrum Concilium nequam abrogavit ea, quæ sancta sunt in cap. *Ex tuæ* de clericis non residentibus. Quapropter illo triennii spatio permittitur Episcopo eosdem pervicaces a divinis suspendere, quamvis viam insisterè cœperit, quam Synodus Tridentina indicavit. Attamen, si id faciat, ad privationis sententiam ferendam devenire nequit (4).

Contra canonicos non residentes ultra amissionem distributio-
num quotidianarum potest Episcopus procedere per mulcas pecu-
niarias, atque alio juris remedio ad residendum ipsos compellere,
sicut expresse S. C. Congregatio declaravit in *Jadren. vulgo Zara*
17 Sept. 1610 (5).

XV. Supradicta applicanda sunt Belgio, Galliæ, alisque locis,
ad quæ spectat Concordatum 1801. Licet enim præbendæ non
existant, canonici pensionem a gubernio immediate accipiunt, et
Episcopus igitur nec dimidiā pensionis partem, nec integrā
sequestrare valeat; id tamen Episcopus contra negligentem cano-
nicum statuere potest, quod media pensionis pars vel integra ad
ipsum non pertineat, eamque in conscientia restituere teneatur.
Quod cum primo et secundo anno factum fuerit, nihil impedit,
quominus sententia privationis post triennium, ut supra dictum est,
fulminetur (6).

(1) De benef. p. III, cap. II, n. 146, 150 et 432.

(2) S. C. C. 14 Nov. 1672 in *Cathacen.* dub. 5.

(3) Garcias loco cit. n. 162.

(4) Ita Benedictus XIV, Inst. 107, § VI.

(5) Apud Lucium Ferrarem *Canonicatus* art. V, n. 102.

(6) Bouix de capitulis p. 3, cap. IV, § 2; Craisson Manuale jur. Can. n. 2362;
Henry de residentia cap. V in fine.